



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

CII. Ioannis VIII. epistola ad Adalgarium Episcopum Augustodunensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

nein & donationis scripti. Datum xii. Kal. Maias anno quarto quo successit Dominus Karolus Rex regnum quondam nepotis sui Lotharj.

Novembri, Indictione decima. Bene valete. *Ista confirmata sunt à Bosone, Karolomanno, & Odone Regibus, quorum præcepta suis locis inferioribus habentur descripta.*

## CII.

*Ioannis VIII. epistola ad Adalgarium Episcopum Augustodunensem.*

An. 876.  
Ex chartulario Ecclesie Augustodunensis.

**I**ohannes Episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo Adalgario sanctæ Augustodunensis Ecclesie Episcopo ac per te in eadem Ecclesia in perpetuum. Divinæ præceptionis moment cunctos eloquia ut quotiens res aliena contra rationis ordinem à quoquam detinetur, æquitate debeat imminente restitui. Constat siquidem villam quædam Tilionacum proprietatis iure sancti fuisse quondam Leodegarij Augustodunensis Episcopi, & ab eo sancto collatam Nazario, cuius vocabulo ipse honoratur episcopatus. Post verò cum à pravis hominibus longo tempore fuisset retenta & quasi in proprietatem eorum redacta, dilectus filius noster Karolus clementissimus Imperator, super hoc subtili examinatione habita, cum eam ad jus Ecclesie Augustodunensis pertinuisse legitime cognovisset, & possessam primò ab ea, & postea pervasam à violentis hominibus liquido didicisset, hanc præcepto suæ auctoritatis ipsi episcopo reddidit & ad jus ipsius Ecclesie revocavit, cui scilicet hanc superius nominatus sanctus Leodegarius olim contulerat. Et ideo, quia postulavit à nobis sanctitas tua ut jam memoratam villam secundum imperiale præceptum apostolicæ auctoritatis liberalitate aut privilegio Augustodunensis Ecclesie confirmarem, inclinati precibus tuis, supernæ pietatis gratia suffragante, prædictæ Ecclesie, cui fraternitas tua præesse dinoscitur, sæpe memoratam villam, sicut antiquitus fuit, denuo confirmamus, ut hoc quod suum fuerat, & redditum nunc possidet, debeat sine cunctatione perpetuis temporibus possidere vel adherere, huius privilegij auctoritate confirmantes antedictam villam in præfato episcopo constitimus quòd in eiusdem episcopij Ecclesia, de qua ablata fuerat, nunc reddita in ipsius dominio sine ambiguitate permaneat. Non solum autem crebrò dictam villam, sed & omnes quæ eiusdem Ecclesie vel modò sunt vel futuræ consistunt, in eodem episcopo confirmamus habendas, statuentes pontificali censura, sub interdictione anathematis futurique iudicij, nulli liceret hæc quæ à nobis tam super jamdicta villa quam super omnibus rebus ab eadem Ecclesia vel habitibus vel habendis promulgata sunt, aliqua temeritate violare vel conturbare aut repetere; sed potius stabilitate perenni inconcussa permanere in eodem pio loco decernimus. Quòd si quis autem magnus vel parvus adversus hoc privilegium auctoritate apostolicæ sedis munitum agere tentaverit, sciat se perenni iudicio condemnandum & igni qui non extinguitur mancipandum. Qui verò custos & conservator ejus extiterit, æternis gaudiis perfruatur, & præmiis cum angelis in cælestibus potiatur. Scriptum per manus Gregorij Notarj regionarj & Scribarj sanctæ Romanæ Ecclesie in mense

## CIII.

*Ejusdem epistola ad clerum & populum Augustodunensem.*

**I**ohannes Episcopus servus servorum Dei omnibus filiis sanctæ Eduensis Ecclesie & per vos successores vestros in perpetuum. Auditum est nostris apostolicis auribus & crebrò intimatum frequenter Ecclesis Galliarum contra decreta canonum in electione suorum Episcoporum violentiam inferre. Quòd nos, cui Ecclesiarum omnium cura commissa est quamvis indignis, vilialiter condolentes, ab universis Ecclesiis hanc inferentem violentiam auctoritate Dei & beati Petri recidere cupientes, præcipuè vobis, sanctæ videlicet Eduensis Ecclesie, huius nostri decreti privilegium scribere sancimus, Reges Francorum primùm observatores orantes; in quo decernimus & regulariter ordinamus ut deinceps nemo Regum vel principum vel aliqua persona vobis superponere vel ordinare aut successoribus vestris præsumat nisi ex filiis ipsius Ecclesie secundum scripta canonum, quem clerus elegerit & populus proclamaverit, si in ea dignus reperiri poterit. Quòd si in ea, quòd forte accidere non credimus, inventus non fuerit, unanimi eorum consilio tam cleri quam populi de aliis dignissimis expetatur. Vestrum denique honorem, quem de seniore adepti fueritis, de vestris domibus & de vestris canoniis & de communi causa fratrum & de omni proprietate vestra in heredibus legitimis statuendis & eligendis ex ipsa domo nostra apostolica auctoritate licentiam vobis concedimus ordinandi absque alicujus controversia impedimenti. Si quis verò magnus vel parvus contra hoc nostrum decretum & concessivam largitionem in aliquo surgere nostramque apostolicam auctoritatem violare vel infirmare præsumpserit, sciat se anathematis vinculo sanctæ Trinitatis invocatione & beati Petri Apostoli potestate ac nostra auctoritate æternaliter cum inimicis Dei & ejus contradictoribus usque ad satisfactionem profligatum ac in perpetuum damnatum. Conservatores autem huius nostri decreti pax & gaudium & benedictio à largitore omnium bonorum Deo consequantur & vitam æternam habere mereantur.

Scriptum per manus Theodori Scribarj sanctæ Romanæ Ecclesie in mense Martij & Indictione sexta. Datum . . . . Bene valete.

## CIV.

*Notitia iudicati pro Audefindo Episcopo Helenensi adversus Auvaldum.*

**I**n iudicio Imberto Misso Bernardo Comite, live & de iudices qui iussi sunt causas dirimere & legibus diffinire, id est, Teodofredus, Me-

Ex eodem chartulario.

An. 876.  
Ex chartulario Ecclesie Helenensis lib. 2. cap. 96.